

sapientiâ longè remotam & Spiritu plenissimam accedendum sit, conjunctâ, unicè profluxisse.

V. Coeterum revoco *Arnoldum* ad fidem historicam, eamque, quod requirit maximè ipse, à partium studio remotam, utrum vel syllabam unam in universâ de hoc colloquio narratione, ipsoque in primis Protocollo, vel indicium etiam ullum aut vestigium reperiri liceat, è quo constet, vel affectibus unquam indulgisse Pappum, vel quacunque ratione dedisse occasionem, cur colloquutionem vel intelix fuerit secutus eventus, vel Papistæ de re in colloquio probè & masculè gestâ jure meritoque triumphare potuerint? Id nisi liquido certisque ex documentis ostenderit, malitiosi calumniatoris, cum contrarium ex omnibus paginis scire potuerit, & ne proximo suo foedam & tam atrocem injuriam inferret, scire debuerit, notam nunquam effugiet. Demonstravi immotis argumentis I. requisitum fuisse Pappum ad Principem sine ullâ habendi colloqvii significatione & ad colloquendum, quod tanquam imparatus declinaverat, precibus, obtestationibus & vi quasi quadam ab Ecclesiæ ministris ipsi illatâ pertractum, quippe qui speraverant fore, ut ad sanam mentem rediret Princeps, nec Ecclesiis ipsorum periculum crearetur. (5.) II. Pappum sub specie privati de religione colloqvii, sich mit Ihme in causâ religionis gnädig zu unterreden/ ad colloquendum pertractum, Principem tamen in ipso congressu perpetuum habuisse adversarium, cum tamen persuasus fuerit Pappus, se Principis personam & religionem ipsius Lutheranam adversus Pistorium & creaturas ipsius tueri debere. (6.) III. Pappum causam agere debuisse Ministerii Hochburgici, Marchioni tanquam hero suo obsequii & infimæ reverentiæ sacramento subjecti, contra quem ne hiscere quidem poterant, nisi carceres illicò iisdem & extrema quæque minaretur. (7.) IV. Pappum Ministerii personam repræsentare, cui tamen permissum non fuit, cum Ministerio sententias conferre. (8.) V. Pappum adigi ad disputandum & materiam tamen, quam vel defenderet, vel

(5) Pag. 202. §. VII. (6) Pag. 205. §. II. X. (7) Pag. 208. §. I. X.  
 (8) Pag. 210. §. X.